Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36527
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

fuisse palmam in animo meo. nisi ego credidissem post mor-
tem restare animae uitam. et tractatus meritorum. quod epi-
curus credere noluit. Et quaerebam si essemus immortales.
et in perpetua corporis uoluptate sine ullo amissionis ter-
rore uiueremus. cur non essemus beati. aut quid aliud quaereremus.
nesciens id ipsum ad magnam miseriam pertinere. quod ita de-
mersus et caecatus cogitare non possem lumen honestatis et
gratis amplectendae pulchritudinis. quam non uidet oculus
et uidetur ex intimo. nec considerabam miser ex qua uena mihi
manaret quod ista ipsa foeda tamen cum amicis dulciter conferebam.
nec esse sine amicis poteram beatus etiam secundum sensum quem tunc
habebam in quantalibet affluentia carnalium uoluptatum. quos
utique amicos gratis diligebam. uicissimque ab eis me diligi
gratis sentiebam. O tortuosas uias. Uae animae audaci quae
sperauit si a te recessisset se aliquid melius habituram. uersa et
reuersa in tergum et in latera. et in uentrem. et dura sunt omnia.
et tu solus requies. et ecce ades. et liberas a miserabilibus erro-
ribus. et constituis nos in uia tua. et consolaris et dicis. Currite
ego feram. ego perducam. et ibi ego feram. Amen. **Explicit**
Liber VI. Incipit Liber VII. Confessionum S. Augustini episcopi.

AM MORTUA ERAT ADU
lescentia mea mala et nefanda. et ibam in iuuentutem.
quanto aetate maior tanto uanitate turpior: qui cogi-
tare aliquid substantiae nisi tale non poteram quale per hos ocu-
los uideri solet. Non te cogitabam deus in figura corporis
humani. ex quo audire aliquid de sapientia [illegible] nam
cepisse. semper hoc fugi. et gaudebam me hoc reperisse in fide
spiritalis matris nostrae catholicae tuae. Sed quid te aliud co-
gitarem non occurrebat. et conabar cogitare te homo. et talis